

3) Estne praeceptiva?

Fer. II. post Dom. Passionis, quando recitatum est officium def., non dicitur missa conv. de Def. neque Oratio: *Fidelium*; quae etiam in aliis feriis secundis Quadrages. non dicitur juxta rubricas, sed solum oratio: *Omnip. sempit. Deus*, quae est pro vivis et def. et omittitur tempore Passionis. S. R. C. 11. Jul. 1643.

Ad dubium: An Missa, quae in Ecclesiis Cath. juxta gen. Rubricas celebranda est pro def. Sacerdotibus, Benefactoribus et aliis qualibet prima die, vel feria II. non impedita cujuslibet mensis sit praeceptiva?

Et S. eadem C. ... respondendum censuit:

„Affirmative.“

Atque ita rescribere S. C. rata est et declarare. n. 5063 ad 1 die 27. Febr. 1847.

4) Coram SSmo. exposito.

Vd.: *Instructio Clem.* §. XVII. n. 7, 8.

5) Tempus.

Vd.: *Missa convent.* (tempus); *Officium def.* (orat. decr. n. 4687 nota).

6) Translatio.

Cf.: *Missa conv.* (Obligatio ad duas.)

Si prima dies mensis impedita duplici vel semid., cum ex praescripto rubricarum Off. def. et missa convent. de Requ. non sit celebranda, Officium et missa hujusmodi differenda est ad aliam diem non impeditam. n. 4167 die 27. Mart. 1745.

n) Coram SSmo exposito.

Vd.: *Instructio Clem.* §. XII. n. 27; §. XIII. n. 1, 3; §. XIV. n. 1 etc.; §. XVII; *Missa de et coram SSmo expos.*; *SS. Sacrament.* (Expos. in Pontif.)

Tarentina.

Ex pio quodam Legato tenentur Moniales Ordinis Sanctae Clarae in

Civitate Tarentina in propria Ecclesia ad Altare majus publicae Fidelium venerationi Sanctissimum Eucharistiae Sacramentum exponere tribus postremis diebus Carnis privii. Ne vero in Sacro audiendo ipsarum pietas fraudetur humillimas Sacrorum Rituum Congregationi preces porrexerunt pro facultate celebrandi Missam Conventualem sine cantu ad Altare, ubi Expositio, ut supra, peragitur dictis tribus diebus. Sacra eadem Congregatio, referente infra-scripto Secretario, in ordinariis Comitibus ad Vaticanum hodierna die habitis rescripsit: „Pro gratia, dummodo in Missa Sacra Eucharistia non distribuatur.“ Die 12. Novembris 1831 n. 4677.

NOTA GARDELLINI AD HOC DECRET.

Missam vel celebrari vel decantari in Altari, in quo expositum est SSnum Eucharistiae Sacramentum, non semel vetuit S. R. C. appositis Decretis, sive illud pro Oratione Quadraginta Horarum sive alia occasione per Annum expositum sit: et jure quidem, nam populus adorationi intentus, aliis precibus et actionibus licet sacris, ab illo distrahi non debet, cui unice et principaliter est intentus. Cautum hoc fuit a fel. rec. Clemente XI. in sua Instructione de iis, quae servanda sunt pro Expositione SSmi. Sacramenti in Oratione Quadraginta horarum, in qua edicitur §. XII. ut Missae omnes *sive privatae sive solennes*, in eo Altari omnino prohibeantur, *duabus tantum exceptis, quae celebrandae pro exponendo et reponendo SSmo. Sacramento.* Haec est regula adeo stricte accurateque servanda, ut nemini liceat ab ea declinare. Dari quidem possunt casus particulares, quibus fortasse in eo poterit celebrari, sicut urgens necessitas, defectus Altarium in eadem Ecclesia, vel vicinarum Ecclesiarum, praesertim ubi praeceptum urgeat audiendi Sacrum, consuetudo, quae vere

sit immemorabilis, quaeque tolli nequeat sine Populorum scandalo et offensione, aliaque hujusmodi, quae Ecclesia, vigente etiam contraria lege, toleranda esse censet. Sed casus particulares universalem legem et regulam non destruunt, neque omnibus aequae casus particulares possunt aptari, ut aequae omnes ad legem universalem stricte sequendam non teneantur. Plura his addere supervacuum esset, quum in memoratae Clementinae Instructionis illustrationibus pene omnia, quae in hac materia occurrunt, enodanda dubia reperiantur, ac clarissime declarentur, quae ambigua videri possunt; eas itaque adeat, qui plura desiderat.

A regula hac generali S. R. C. Moniales Ordinis S. Clarae in Civitate Tarentina censuit dispensandas facultatemque concessit, ut Missa Conventualis sine cantu in Altari Expositionis celebraretur, ne evagationibus detur locus, dum pietas non defraudatur. In unum enim collectae Moniales, nec ab Altari, ubi Missa celebratur et SSnum Sacramentum est expositum, plus aequo distantes, piis sane meditationibus assuetae, altera alteram potest ad devotionem vicissim aemulando excitare, eodemque tempore pro earundem Christi Sponsarum conditione, praecipuo adorationis objecto omnes intentae esse possunt. Ut autem specialis gratia appareat et ad earum pietatem, uti petebant, fovendam Sacri auditione concessa, SS. Eucharistiae distributio in eadem Missa omnino prohibetur. Hoc enim esset omnes fines praetergredi: quum enim ex universali lege vetitum sit Missam sive solemnem sive privatam eo in Altari celebrari, omnia alia in hac particulari concessione ibidem Missam celebrandi excluduntur, quae stricte in singulari gratiae concessione non continentur et si fiant, universalibus legibus quovis modo opponuntur, quae

eo quo possunt et debent modo servandae sunt. Jam si ex universali lege Missae quaecumque vetantur in Altari, ubi est SSnum Sacramentum expositum, eo ipso SS. Eucharistiae eodem in Altari distributio vetita censenda est, nam in alio Altari SS. Eucharistiae asservari debet, ut Fidelibus possit distribui, atque ita universali lege servato Fidelium satisfit pietati ac devotioni, cui ipsa Clementina Instructio plenissime consuluit.

o) Tempus.

Vd.: *Missa conv.* (oblig. ad duas; decr. n. 4044); *Chorus* (tempus, decr. n. 4568); *Nativitas Dom.* (Missa, decr. n. 4603); *Missa contra paganos* (tempus); *Missavot. sol.* (hora); *Officium. def.* (orat. decr. n. 4687 nota); *Titular.* (fest. celebr.; decr. n. 2362).

Missa conv. dicit debet post Tertiam in festis duplicibus et in diebus dominicis juxta rubricas Missalis, non post Sextam; quodsi propter frigiditatem populus tardius venit ad Ecclesiam, praestat differe tempus recitandi Tertiam, quam debitum ordinem intervertere. n. 15 ad 7 die 16. Mart. 1591.

S. C. benigne indulgit, ut in festo SS. Corp. Chr. Missarum solennia post Nonam peragantur; *infra octavam* autem SS. Corp. Chr. et diebus duplicibus infra eam occurrentibus Missam post Tertiam celebrandam esse. n. 2856 ad 6 et 7 die 22. Jan. 1678.

In diebus Quadragesimae, Adventus, quat. tempor. ac vigiliarum, missa praedictarum feriarum ac vigiliar. juxta rubricas debet celebrari post Nonam, etiam, quando occasione 40 hb. ex praescripto celebratur missa vot. contra paganos. n. 3564 die 22. Maii 1700.

Ad dubium: an in Quadrages., Adventus et vigiliarum temporib. nec non in diebus Rogationum occurrente aliquo festo dupl. vel semid. liceat post Primam celebrare missam praedictarum feriarum? S. C. resp.: Servandas esse

rubricas. n. 3575 ad 1 die 22. Jan. 1701.

In die Commem. Omn. fid. Def. non potest celebrari missa sol. de Requ. post Primam sed servandae sunt rubricae, quae praescribunt post Nonam. S. R. C. 22. Jan. 1701.

Cum in Quadrag., Adventus et Vigiliarum temporib., in dieb. Rogat. occurrente aliquo festo dupl. vel semid. celebretur missa praedictarum feriarum post Nonam juxta rubricas et cum per nostras Constitutiones (Ord. Erem. Camaldul.) teneamur celebrare missam conv. post Nonam in Quadrag. et non sit consuetudo celebrandi post Nonam aliis temporibus, dubitatur: an praedicta missa fer. remitti possit ad aliud tempus, an potius relinquenda, cum non adsit aliqua obligatio apud nos eam celebrandi? S. C. resp.: Esse servandum decr. sub 22. Jan. 1701.

Quadragesimae, Adv., Vigiliarum temporibus nec non diebus Rogat. occurrente aliquo festo dupl. vel semid., non licet post Primam celebrare missam praedictarum feriar. sed servandae sunt rubricae, quae praescribunt post Nonam. n. 4136 ad 3 die 19. Jan. 1743.

Ex parte Fratrum strictioris observantiae Sancti Francisci Provinciae S. Didaci in Regno Mexicano humiliter supplicatum fuit a S. R. C. declarari:

An Quadragesimae, Adventus et Vigiliarum temporibus, quando recitatur Officium de aliquo Sancto et non de Feria seu de Vigilia, sit dicenda, praeter Missam de Sancto, etiam conventualis?

Et S. eadem R. C. resp.: „Affirmative, nempe de Sancto post Tertiam et post Nonam de feria seu de vigilia.“ Et ita declaravit. n. 3558 die 8. Maji 1700.

Diebus Feriarum Adventus et Quadragesimae, Vigiliarum et Rogationum Canonici Cathedralis Ecclesiae non privilegiatae, si dies sit festivus, cele-

brare solent Missam de Feria post Tertiam, de Sancto vero occurrente post Nonam; quia, ajunt, se vicem gerere Episcopi. Quaeritur: an haec consuetudo sit toleranda, vel potius tamquam abusus tollenda? Et S. eadem C. rescribendum censuit:

„Negative quoad primam partem; Affirmative quoad secundam.“ n. 4536 die 4. Junii 1817.

NOTA AL. GARDELLINI AD HOC
DECRETUM:

Dubium hoc vel non est satis clarum vel male expositum. Quod in aliqua Cathedrali intervertatur ordo Horarum a Rubricis praescriptus, pro celebratione Missarum solemnium, dum eadem die canendae duae sunt, altera scilicet de Festo occurrente, altera de Feria, novum non est: et utinam id genus abusus frequentes non essent! cum non desint multi, qui propriis student commodis potius, quam in sacris servandis ritibus legum ecclesiasticarum dispositioni obediant. Id vero novissimum est et hactenus inauditum, quod Canonici aliqui praefatum pervertentes ordinem se tueantur, agentes, vicem gerere Episcopi. Novissimum jure dixi, nam onera Missarum propria sunt Canonice non autem Episcopi, cum is teneatur ad Missas Pontificales dumtaxat in solemnioribus festivitatibus, et, dum id agit, ipse etiam Regulae Libri caeremonialis parere debet, quin pro lubitu queat horam diversam a Caeremoniali vel Missali praescriptam indicare. Quamobrem data quoque falsa hypothesis, quod Canonici Cathedralis in Missarum solemnium vices gererent Episcopi, non ideo possent turbare ordinem, si neque Episcopo id licet. Nec prodest consuetudo, quae, ut abusus, nequit praescriptionem inducere, eamque etsi

immemorabilem S. C. nihili pendendam duxit in Venusina die 9. Aug. 1760 et omnino servandas esse Rubricas respondit in una Eremitarum Camaldulensium sub die 22. Jan. 1701 et 19. Jan. 1743, licet obstarent peculiare Constitutiones et consuetudo.

Nescio tandem, cur in dubium exponatur, quaestionem esse de Cathedrali non privilegiata, quasi in illis, quae pluribus auctae sunt privilegiis, fas esset ordinem a Rubricis praescriptum pro Missarum Solemniis invertere. Si insigniores, sint multis decoratae praerogativis: has inter non ulla erit, qua permittatur pro lubitu non statutis horis Missas canere, sed potius, secus ac Ecclesiasticae Leges jubent, illas inverso ordine celebrando, propriis commodis consulere.

Ad dubium: utrum tolerari possit consuetudo ignoti initii legendi missam conv. de feria vel vigilia, dum in choro dicitur Hora prima, an saltem sine cantu legi possit post Nonam, assistentibus iis, qui ad chori servitium sunt adstricti? S. C. resp.: Negative et servantur rubricae. n. 4542 ad 5 die 30. Sept. 1817.

NOTA GARD. AD HOC DECRETUM:

Duas partes hoc dubium habet. Primum quaeritur: num servanda sit consuetudo legendi Missam Conventualem de Feria vel Vigilia, cum in choro dicitur *Hora Prima*: deinde vero: num saltem sine cantu legi possit *post Nonam*? Non nisi crassa Rubricarum ignorantia hisce quaestionibus causam praebere poterat. Quis enim est, qui nesciat, Missam de Feria aut de Vigilia, dum in choro duae Conventuales cantandae sunt, matutinis omnibus Horis persolutis, ad *Nonam* usque inclusive canendam esse?

Servandus quippe est ordo a Rubrica praescriptus *tit. 15 num. 2.* Audien-

dus *Meratus* hoc loco addit ad *Gavantum num. 3. Observare libet cum Turrino part. 2. sect. 5. cap. 2., quod si cantandae sunt plures Missae ob occursum Feriae majoris, v. gr. cum Festo duplici, cantetur Missa de Feria post Nonam, de Sancto post Tertiam ... quia Rubrica generalis expresse praescribit Missam de Festo cantari post Tertiam, de Feria post Nonam.* Neque ordinem hunc invertere licet, veluti declaravit S. R. C.; praesertim in *Nucerina* 16. Febr. 1630, ac in *una Ordinis Eremitarum Camaldulensium* 22. Jan. 1701 et 19. Jan. 1743.

Id autem tanto cum rigore servandum, ut nec prodese valeat ad praescriptionem inducendam consuetudo, etsi immemorabilis, ut ex ejusdem S. C. Decretis in *Polana* 9. Maji 1639 in *Imolen.* 7. Julii 1759 et in *Venusiana* 9. Aug. 1760. At in proposito dubio duplex detegitur error nullo modo excusandus. Alter est ordinis inversi quoad horam celebrandi Missam de Feria: alter versatur circa modum persolvendi in choro *horam Primam*, dum ad Aram fit feriale Sacrum, ita ut duae actiones distinctae et successivae confundantur et quodammodo, ut ita dicam, compenetrentur.

Praeceptiva sunt verba rubricae, quae jubent, quod Missa vel de Sancto vel ferialis, statutis horis in choro persolutis, succedat: *Missa Conventualis sequenti ordine dici debet. In Festis dupl. etc., dicta Hora Tertia; in Festis simplicibus etc., dicta Hora Sexta. In Adventu etc. Missa de Tempore debet cantari post Nonam.* Qui sane Ordo tam stricte obligat, ut horam Missae de Tempore variari non liceat, *quamvis sint dies solemnes.* Quod si non licet, dum in choro Horae Canonicae persolvuntur, in altera ejusdem Ecclesiae Capella aliam peragi functionem aliasve preces recitari: ut res-

pondit S. C. in *Neritonen. diei 15. Jan. 1659*; multo minus licebit in eodem Choro eodemque tempore Missam celebrari de Feria et Horam Primam recitari, ac duas actiones distinctas ac successivas simul confundere. Poteritne tamen ferialis Missa post Nonam, adstante Clero, legi sine cantu? Id quaeritur in secunda dubii parte. Regula servanda est, quae jubet Missas omnes conventuales, utpote solemnes, cantandas esse. S. R. C. sub die 3. Aug. 1737 in *Urbeveta super Dubiis* interrogata: *An quoties ex praescripto rubricae celebrandae et cantandae sunt in Ecclesia Cathedrali plures Missae, liceat aliquam ex illis planam celebrare?* absolute respondit: *Negative.*

Dignitates et Canonici Cathedr. Polonsis obtentu consuetudinis, terminatis omnibus horis canonicis etiam diebus festivis, in quibus nec horam tertiam umquam canunt, nisi Pontif. exercente Episcopo, recitatis anticipatae hoc casu Sexta, Nona, missam conventualem decantant. Itemque missas pro def. a Testatoribus legatas ante Matutinum, quoties contingunt, cum cantu celebrant. Cumque hac consuetudines resistant rubricis necnon decreto 18. Junii 1689, quaeritur: An attentae consuetudine tolerari queant hujusmodi respectivae anticipationes et participationes Horarum et sol. missarum? S. C. resp.: Serventur omnino rubricae miss. rom. sub tit. 15 n. 4086 die 9. Maji 1739.

Quoad horam celebrandi missam conventualem de Sanctis et de Feria servandas esse rubricas missalis et amplius. n. 4277 die 7. Julii 1759; n. 4293 die 9. Aug. 1760.

Ad dubium: An tempore Adventus Missa conventualis de Sancto occurrente sub ritu dupl., vel semidupl. post Nonam semper sit celebranda?

Et Emmi. P. S. eidem C. praepositi ... respondendum censuerunt:

Negative et Missam de Sancto sub ritu dupl. vel semidupl. in Feriis Adventus occurrente semper celebrandam esse post Tertiam, juxta Rubricas. Et ita S. C. respondit, statuit et ubique servari mandavit. n. 4586 ad 1 die 20. Apr. 1821.

Ad dubium: an in Cathedr. et Colleg. Ecclesiis missae convent. celebrandae cum cantu legi queant absque cantu, dum in choro horae minores recitantur? S. C. resp.: Missas conventuales canendas choro praesente et post horas canonicas. n. 4857 ad 1 die 3. Aug. 1839.

Ad dubium: Quum Episcopus diebus festivis applicare debeat pro ovibus suis, quaeritur: an Episcopo hisce diebus pontificaliter celebrante, Canonici debeant Missam Conventualem pro Benefactoribus cantare et quando? S. C. resp.:

„Hebdomadarius, vel is, cui onus inest Missae conventualis, illam celebret lectam vel ante vel post Missam Pontificalem.“ n. 4669 ad 20 die 12. Novb. 1831.

Ad dubium: Ab immemorabili in quadam Cathedrali in Choro unica cantatur Missa tum in Feriis tum in Festis et haec post Nonam semper locum habet. Hujusmodi consuetudo potest necne tolerari?

Et eadem S. C. ... rescripsit:

„Servandas esse Rubricas quoad numerum Missarum conventualium juxta diversitatem dierum et quoad horas illas celebrandi; nimirum de Festo post Tertiam, de Vigilia post Sextam, de Feria post Nonam.“

Atque ita rescripsit declaravitque. n. 5121 ad 4 die 22. Julii 1848.

Ad dubium: Utrum possit Episcopus tolerare quod Canonici Cathedralis Missam conventualem celebrent non post Tertiam sed post Nonam?

Emmi. et Rmmi. P. ... respondendum duxerunt:

„Negative et servandas esse Rubricas.“ Atque ita S. R. C. rescribere rata est propositaque Dubia declarare. n. 5228 ad 1 die 29. Nov. 1856.

Ad dubium: In festis solemnibus, quae occurrunt in Feriis Quadragesimae, licetne continuare usum canendi Missam de Feria post Tertiam et Missam de Festo, cui assistit Episcopus, post Nonam circa meridiem, an aliter faciendum? S. C. resp.:

„Negative, sed Rubricae servandae quoad horam solemnem Missae in Choro.“ n. 4669 ad 27 die 12. Novb. 1831.

26) Coram s. Cruce exposita.

Vd.: *Reliquia* (veneratio etc.); *S. Crux* (reliquia).

Ad dubium: An Caeremoniae in Missa coram Sacrae Crucis Ligno palam exposito differant ab iis, quae in Missa coram Sanctissimo Sacramento adhibentur? S. C. resp.:

„Affirmative et solum est genuflectendum in accessu et recessu et quoties transit ante medium Altaris, seu a latere ad latus, ut in incensatione.“

Atque ita rescripserunt ac servari mandarunt. Die 23. Maji 1835 n. 4743 ad 1.

27) Dedicatio Ecclesiae.

Vd.: *Dedicatio Ecclesiae.*

28) Defectus ex parte Sacerdotis.

Vd.: *Sacerdos inhabilis, caecutiens; Sumpcio SS. Sanguinis cum fistula.*

29) Descriptio in libro.

Vd.: *Stipendium; Tabella missar.; Sacrista* (Electio etc.)

Attento decreto fel. mem. Alex. VII., quo jubetur describendas esse ab omnibus Sacerdotibus singulas missas sol. et priv. in libro ad hoc in Sacristia retinendo, dubitatur: an missas

pont. celebratas teneatur in dicto libro describere Episcopus, an primus Diaconus assist. in celebratione missarum? S. C. resp.: Ex vi enunciati decreti non teneri nec per se nec per alium. n. 3587 die 11. Junii 1701.

Pro accurato perpetuorum onerum Missarum celebr. adimplemento Decreta varia.

Decretum Primum.

Ut missarum perpetuarum vel temporariarum vel manualium Onera, quae a provida fidelium def. cura, antequam ex hac vita in alteram transirent, aut ex pietate benefactorum constituta sunt assignata certa pecunia ad censum ellocata vel quotidianis eleemosynis ad eadem celebranda destinatis, exacte ab iis impleantur, qui perceptis inde emolumentis ad id tenentur et ut miserae animae in flammis lustralibus detentae fruantur statuto tempore debitis suffragiis, Sanctitas D. N. S. P. Clem. XI. inhaerens decretis de celebratione missarum, editis aetate SS. PP. Urbani VIII*) et Innocent. XII.***) decessorum ejus et restaurans strictam eorum observantiam, sub iisdem poenis in dictis Constitutionibus contentis, expresso mandato voce nobis dato, injungit et praecipit omnibus Superioribus, Superintendentibus, Deputatis, aedituis, Capellanis et cuicumque alteri, qui quocumque titulo et Officio praesidet regimini et administrationi Ecclesiarum Patriar., Basil., Colleg., Paroch., Monasteriis et Conventibus regul. unius et alterius sexus, Conservatoriis, Congregationibus, Nosocomiis, Confraternitatibus laicalibus et cuicumque alteri Ecclesiae, Sacello et Oratorio romano, ut tam in recipiendis Missarum eleemosynis,

*) Vd.: Bull. rom. tom. IV. p. 90.

**) Bull. r. t. VIII. p. 307—314 et articulum: *Stipendium* (decr. Innoc. XII.).

quam in adimplendis in celebratione earum obligationibus, exacte, inviolabiliter et integre observetur atque usurpetur sequens Instructio sub poenis Suspensionis a *Divinis*, si Sacerdotes saeculares fuerit, et privationis vocis activae et passivae, officiorum et numerum, si sint Regulares, atque aliarum mulctarum pecuniarum et respective corporalium ad arbitrium Suae Sanctitatis, ineundis ab iis, qui eandem vel integre vel ex parte violaverint.

Instructio pro Missis Perpetuis.

Concinetur Catalogus, in quo distincte descripta sint onera Missarum cantatarum, privatarum, tam perpetuarum quam temporalium et unde descendant, an ex testamento, donatione vel sub alia forma, cum fundis, in dotem cujusque oneris relictis, atque altaria, in quibus celebrandae sunt

Servanda insuper erit ditorum onerum tabula, distincte notatorum, cum expressione Nominis, Benefactorum et indicatione Testamenti vel alterius Instrumenti, quodcumque extet, hoc est: quibus actis et quo tempore, divisim in suis columnis distinctis missarum cantatarum et quotidian., menstruarum, hebdomadalium et aliorum onerum temporaneorum, relictorum, ut celebrentur cum expressione altaris, in quo celebrandae erunt etc. Quae tabella recognosci, examinari et subscribi debet a D. Secr. s. Visitationis apost. pro tempore et computista deputato et affigi in Sacristia loco patenti, ut disponunt Constitutiones apost., nec ulla pars in ea demi aut adjungi debet, quin iterum recognoscatur, et ab iisdem subscribatur et si contingant infra anni decursum novum Legatura constitui, tam Catalogus quam dicta tabella deferatur, ut illud notari possit.

Insuper servandi sunt duo Codices, alter pro oneribus perpetuis, pro Missis adventitiis alter, ut declarant eadem Constit. apost....

Liber missarum perpetuarum confici debet singulis annis et absolvi intra mensem Octobrem cujuslibet anni pro anno sequenti et mensibus Novbr. et Decbr. exhiberi computistae, ut ab eo recognoscatur, an recte constitutus sit eumque signet et subscribi curet a D. Secr. Visitationis apost. pro tempore; simili ratione etiam codices antiqui, in quibus notatae erunt Celebrationes anni praecedentis, eidem exhibebuntur mense Januario, finem anni antecedentis immediate sequente, ut cognoscatur, an omnia onera exacte impleta fuerint et si minus iis satisfactum fuerit, afferatur hujus defectus causa, ut media, quae magis expedire videbuntur, adhiberi possint.

Ulterius debet omnis Sacerdos tam sacellanus affixus celebrationi missae quotid., quam omnis alius, cui incumbet celebrandi onus infra hebdomadam, finita missa notare nomen suum e regione loci, ubi expressus est titulus, ob quam missam celebravit. E. g.: *NN. Celebravi*. Et hac ratione impletae erunt dispositiones juxta modum et formam, qua fuerunt relictae et dilucide apparebit impletio dispositionis facta per missas celebratas.

Ut obiam eatur cuipiam perturbationi, quae accidere possit in illis Ecclesiis, in quibus praescribitur major numerus missarum ex obligatione fixa legendarum, ubi contingere posset, ut plures sacerdotes eodem tempore egrediantur ad celebrandum et unus eorum primus in sacristiam ingrediens notet verbum: *celebravi* eodem loco, quo alius obligationem suam jam implevit, praecipitur, ut Sacerdos celebraturus sacristiam ingressus adeat librum et in eo inspiciat locum, ubi intentio Missae dicendae expressa est

et ponendum esset verbum: *celebravi*, inscribat suum nomen et cognomen et absoluto sacro, addat dicto nomini: *celebravi*; hac ratione quilibet superveniens locum illum, in quo intentio fundatoris scripta apparet, juxta quam legere oportet, vacuum nec signatum reperiet et sic tolletur omnis confusio.

Si vero contingat, ut illa die, qua satisfaciendum est debito, sacerdos casu impeditus sit, nec illa die praescripta missa legi possit, eam ad aliam diem transferat, notabit ille, qui eam celebrabit: *N. N. celebravi sub die tali etc.*, quia sine hac declaratione non corresponderet illi diei, qua ad dictum esset: *celebravi*, sicut aliis.

De Missis Adventitiis.

Conservabitur solitus liber, in quo signantur eleemosynae a Benefactoribus collatae et istae signate describendae erunt, an sint votivae vel pro Def. et exprimendus literis numerus extrahendusque erit per calculum, ut in hoc exemplo patebit:

Missae duae pro Def. ... num. 2.

„ tres ad altare s. Ant. „ 3.

Missae in dicto libro notatae referendae sunt in alium librum in sacristia servandum, in quo singulae missae *distincte* notandae sunt, ita ut sacerdos singulis apponere possit verbum: *celebravi*, modo supra indicato.

In Exemplum:

Missae una pro Def. ... num. 1.

„ „ „ „ „ „ 1.

„ „ ad altare s. Anton. „ 1.

„ „ „ „ „ „ 1.

Missae illae, quae intra annum non absolventur, pro quibus acceptae fuerunt eleemosynae, transferendae erunt in annum sequentem et *notandae sunt in prima serie* juxta ordinem ut supra.

Satagat interim quilibet, ut promptae executioni detur, quantum expresso Suae Sanctitatis mandato disponitur,

secus si fiat, expedientur in transgressores cum omni rigore poenae supra memoratae. Et ut nemo unquam possit praetexere ignorantiam eorum, quae in dicta Instruct. praescripta sunt, appensum erit loco patulo et visibili in qualibet sacristia exemplar praesentis Decreti sub poena in casu transgressionis pendendi a Sacristano, si fuerit presbyter saecularis, decem scutatos aureos et privationis officii et inhabilitatis ad quaevis alia, si Regularis.

Datum Romae 1. Oct. 1704*).

Jos. Dom. de Totis Secr. s. Visitationis apost.

Nicol. Pignatelli, Commiss. et Fiscalis s. V. ap.

Paul. Fatius Not. S. Congr.

Decretum Secundum.

Cum Sua Sanctitas D. N. P. Clem. XI. edicto Octobr. promulgato praescripserit normam et methodum, quae *universim* observanda sit in implemento onerum missarum; hinc inhaerendo cupiens suo sancto zelo procurare integrum implementum dictarum missarum, mandato et voce disertae nobis imposito vult et praecipit, ut omnes sacellani, sacerdotes, Canonici alique cujuscumque status, gradus et conditionis, etiam privilegiatissimi, tam saeculares quam regulares cujuscumque Ordinis et Instituti etiam Societ. Jesu et alterius loci pii hujus almae Urbis Romae, qui obstringuntur onere missarum celebrand. in *certo et determinato altari, debeant in futurum celebrare in ipso et non in alio altari*, quamvis similiter vel etiam magis privilegiato; et ut constet de tali im-

*) Vd.: *Bull. r. t. VIII. p. 451. Ibid. p. 453* est aliud decretum amplum Clem. XI. de die 1. Febr. 1707 tractans de notitiis Missarum onera respicientibus.

plemento debeant supra nominati absoluta missa, eam propria manu notare in libro, qui in Sacristiis ad hunc finem conservatur, exprimendo ipsum altare; ut in exemplo, si missae celebrandae sint in altari s. Francisci, propria manu illud scribere debent in hac forma: *Ego N. N. celebravi ad altare S. Francisci*, vel si altare jam expressum sit in folio opposito, poterunt scribere sequenti modo: *Ego N. N. celebravi ad contrascriptum altare*, et hac forma utentur ad aliud altare, si obligatio incumbet celebrandi ad aliud; secus ipso facto incurrunt multam decem scutorum aureorum singulis transgressionis vicibus, cujus dimidium accusatori et alterum dimidium locis piis ad arbitrium Suae Sanctitatis applicandum erit et tenebuntur iterum celebrare missas jam celebratas vel celebrari factas in altero altari vel non notatas forma supra dicta, ac si illis nullatenus satisfactum fuisset. Et si Regulares fuerint, illi, qui quocunque modo violaverint, quantum in praesenti edicto continetur, incurrant ipso facto poenam suspensionis Officii et privationis vocis activae et passivae, etiam tam contra supradictos saeculares quam regulares procedetur ad alias poenas adhuc serviores ad arbitrium Suae Sanctitatis.

Pari ratione ordinat et praecipit, ut missae perpetuae pia fidel. dispositione celebrandae *in certa et determinata Ecclesia, nullatenus celebrari possint vel celebrandas constitui in alia Ecclesia* et multo minus extra moenia Urbis, tametsi altera dependeret ab Ecclesia, in qua destinatae essent missae, vel ejusdem Religionis aut Instituti foret. Et qui quocunque modo haec mandata transgredientur, incurrant in poenas supra expressas.

Die 25. Jan. 1708.

Leon. Ant. Gezzi Secr. S. Visit. apost. *)

*) Vd.: *Bull. r. t. VIII. p. 454; ibidem*

Tenentur Rectores Ecclesiarum in Sacratio duos libros retinere ac in eorum altero singula onera perpetua et temporalia, in altero autem missas manuales et tam illorum quam istarum adimplementum et eleemosynas distincte, diligenter adnotare et ad notandas seu adnotanda curare, singulisque annis de supradictis adimplementis, eleemosynis et omnibus pariter exactam rationem suis Superioribus reddere ac omnes et singulas rationes hujusmodi in praefatis resp. libris simili distinctione et diligentia, tam praefatis, a quibus rationes debent reddi, quam Superiores, quibus reddendae erunt describere seu adnotare sive describendas et resp. adnotandas curare. S. C. Conc. 23. Novb. 1697 (*Bull. r. t. VIII. p. 312*).

30) Distributio.

Missarum distributio spectat ad Archidiaconum ut primam Dignitatem post pontificalem et eo impedito vel absente ad sequentem et sic successive Missas inter alias Ecclesiae Dignitates Canonicos et Sacerdotes distribuere. n. 110 ad 1 die 16. Jan. 1597.

Facere tabellas missarum et assignare presbyteros per turnum spectare ad Archipresbyterum. n. 2869 ad 3 die 26. Novb. 1678. — Tabellam, in qua describi debeat, per quos exercendae sint functiones ecclesiasticae per turnum, ab Archidiacono et Cantore subscribendam esse, si ambo adfuerint, sin minus, a praesente. n. 1622 ad 2 die 11. Mart. 1651. Cf. *Tabella*.

Servandum esse jus commune vel consuetudinem Ecclesiae, ut vel prima Dignitas vel Archipresbyter vel alius, ad quem de jure vel consuetudine spectat, Missas per annum ordinet et distribuatur. n. 363 die 17. Novb. 1607.

p. 456 per edictum Clem. XI. de die 18. Sept. 1719 instaurantur praecedentes ordinationes.

Quoad distributionem Missarum et Vesperarum infra annum servandum esse consuetudinem Ecclesiae. n. 366 die 19. Jan. 1608.

Distributionem missarum conventualium (Collegiatae) esse faciendam a prima Dignitate et per turnum, quatenus ab alia Dignitate hujusmodi distributio fieri non consueverit. n. 1569 ad 3 die 17. Novb. 1646.

31) Duae.

a) Non sunt legendae ab uno Sacerd. eodem die.

Vd.: *Missa interrupta per mort. Sacerdotis; Parasceve* (missa; decr. n. 4609 nota ad finem). *Calix* (usus duorum). *Missa* (in Commem. Omn. fid. def. in Regnis etc.). *Dies, in quibus olim unus Sacerdos plures miss. persolvere potuit*, vd.: *Missa* (In Commem. etc.); *Nativit. Dom.* (Tres etc.)

Quum Rmus Ambianen. Ep. compererit, quod in sua Dioecesi ex usu fere generali Sacerdotes bis celebrent Missam diebus Dominicis ac Festis, qui quidem usus ex eo praesertim invaluit quod ordinaria per agros Ecclesia aliqua sit adnexa Ecclesiae Parochiali, in qua residet Parochus, ac proinde in ea iterum celebrat, ut Fideles ibi domicilium habentes faciliorem habeant aditum ad s. mysteria et inde latius extenditur usus praefatus, ut nonnullis in locis bis celebretur etiam super idem Altare aut super Altaria diversa, sed sine gravi necessitate. Ut ambiguitas omnis a medio tollatur, S. R. C. exquirat super frequentibus Dubiis:

1. Utrum liceat Parocho in agris constituto iterare Missam diebus Dominicis et Festis conservatis etiam super idem Altare?

2. An liceat Parocho in urbe constituto iterare Missam iisdem diebus super diversa quidem Altaria, sed tantummodo ad consulendum Parochia-

Decreta authentica. Tom. II.

norum commoditati, v. g. ut celebretur Missa hora VIII., quando jam celebratur variis horis, videlicet hora VI., VII. et IX. et X.?

3. Utrum posito quod sint illicitae duae praefatae consuetudines teneatur iis obsistere Episcopus, an vero eas tolerare possit ut vitentur murmurationes tum Populi tum Cleri?

Et Emus ac Rmus D. Card. Carolus Maria Pedicini Ep. Portuen. S. Rufinae et Centumcellarum, S. R. E. Vice-Cancellarius, ac S. R. C. Praefectus vigore facultatum sibi specialiter a SSmo D. N. Gregorio Papa XVI. tributarum rescribi mandavit: „Sine speciali Apostolico Indulto non licere et teneri Episcopum consuetudinem seu abusum omnino eliminare.“ n. 4915 die 22. Maji 1841.

Namurcen.

Quum in Ordinariis S. R. Comitibus ad Quirinale subsignata die coadunatis a me infrascripto Secretario inter cetera propositae fuerint etiam preces Rmi Ep. Namurcen. hisce conceptae terminis:

Beatissime Pater!

Episcopus Namurcen. ad Pedes S. V. provolutus humiliter exponit dies festos, in quibus obligatio audiendi Missam per Decretum Emi et Rmi D. Card. Caprara die 9. Apr. 1802 sublata fuit, communiter a Fidelibus suae Dioecesis servari, omnesque Regni Belgici Episcopus Anno 1834 Litteras Encyclicas ad Populos sibi commissos dedisse, in quibus eosdem hortantur, ut praedictis diebus Divinis Officiis sedulo interessent aliisque bonis operibus pro posse incumbant.

Quum autem in pluribus locis Dioecesis Namurcen. etiam majoribus ob Sacerdotum penuriam Missa solummodo diebus Dom. et Festis de praeepto celebretur, idem Ep. ad fovendam Fide-